Caracciolus, Robertus: Sermones de laudibus sanctorum
Speyer: Peter Drach, 1490 Seite 384

ex diuerſis egritudinibus curati ſunt:q̄ au=
dita beate catherine glorioſiſſima fama eius
patrociniū ſupplices petiuere. hec ille. Pla=
cuit itaq̃ benigniſſimo deo ſponſe ſue glori
am innumeris vt ſic dicā vſq̃ in p̄ntem diē
miraculis manifeſtare. ¶ Septima catheri=
ne gratia et p̄rogatiua ſingularis eſt dicta ſo
lennis canonizatio. Rome ſiquidē in baſili=
ca beati petri apl'orū principis aſtante popu
lo: ⁊ clero habitoq̃ ſermone ab ip̄o Pio pon
tifice de vita et miraculis eius miſſarū ſolen
niis celebratis et cōſuetis cerimoniis rite p̄=
actis ad canonizatiōē ſancte p̄ceſſit: ſub his
verbis. Ad honorē omnipotētis ⁊ eterne dei
patris ⁊ filii et ſpiritus ſancti: ad exaltationē
fidei catholice et xp̄iane religionis augmen
tum: auctoritate dn̄i noſtri ieſu xp̄i et beatorū
petri et pauli apl'orū eius ac noſtra: catherinā
ſenenſem illuſtris et indelibilis memorie vir
ginem: cuius corpus in eccleſia predicatorū
que de minerua dicit̄ hic rome iacet in celeſti
hieruſalē inter beatorū virginū choros: qn̄ id
ſua virtus diuina ſuffragante gratia meruit:
iam pridē fuiſſe receptam: et eterne glorie co=
rona donatā de fratrū noſtrorū cōſilio decla=
ramus eamq̃ tanq̃ ſanctā publice priuatim
q̃ colendā eſſe decernim⁹ et diffinimus: atq̃
in ſanctarū cathalago virginū: quas roma=
na venerat̄ eccleſia redigi et aſſcribi manda=
mus. Statuentes feſtum eius ſingulis an=
nis: prima mēſis maii dominica die ab vni
uerſali eccleſia celebrandū eſſe. Sicq̃ de⁹ in
ſanctis ſuis admirabilis catherinā in vtraq̃
eccleſia triumphante. ſ. ac militante ſublimi=
ter exaltauit. Quē deprecemur: vt illius meri
tis interueniētibꝫ: dignetur et nos aſſcribere
beate vite. Qui ſit benedictus in ſecula ſecu=
lorum. Amen.

¶ Finis

¶ Sermo de ſancto Bernardino predicato
rum noſtri t̄pis principe.

Dilectus deo et
hoībus: cuius memoria in bene
dictione ē. Sapiētis verba ſunt
iſta originaliter Eccī. xlv. c. Et
in epiſtola hodierne feſtiuitatis. Vellē hoc
tempore tanto eloquētie ſplendore fulgere vt
nō ſolum alterū demoſthenē principē orato=
rum grecie: aut Ciceronē latinū me putarent
oēs aſtantes: ſed angelū crederēt de celo miſ=
ſum vt fari poſſem eximias laudes illi⁹ ſan=
cti bernardini q̄ ſua predicatōe nomē glorio
ſum ieſu xp̄i mirabiliter exaltauit. Ipſe q̄ppe
alter paulus ⁊ vas electōis xp̄ianā religionē
ſua doctrina reformauit. Ip̄e italie populos
per abrupta viciorū deuiantes ad ſemitā vir
tutum et iuſticie reduxit. Ip̄e deniq̃ religio=
nem ſacram minorum numero et ſanctitate
adauxit. Merito itaq̃ in eius ſolēnitate p̄co
nia p̄dicationis ei⁹ enarrare debemus. Ob
illā nanq̃ deo et hominibꝫ dilectus eſt ⁊ me=
moria ei⁹ benedicta in ſempiternū manebit.
De qua in p̄nti ſermone tres excellentias p̄po
nimus declarandas.
Prima dr̄ cōmendationis.
Secunda cōditionis.
Tercia honorationis.

¶ Ex cōmendatur p̄dicatio ſancti bernardi=
ni: propter humilitatem: charitatem: et patiē
tiam.

¶ Capitulū. i.

Prima excellētia p̄dicationis ſancti ber
nardini dr̄ cōmendationis. Sua quip=
pe predicatio ſatis eſt cōmendanda Et maxi
me p̄pter tria.
Primo p̄pter humilitatem.
Secundo p̄pter charitatem.
Tercio p̄pter patientiam.
¶ Primo cōmendatur predicatio ſancti ber
nardini p̄pter humilitatē. Nō eni p̄dicauit
p̄ſumptuoſe aut ſuperbe ſe ingerens ſed miſ=
ſus. Officiū nanq̃ predicatorum officium
eſt angelorū: quia ſicut angeli annunciāt di=
uina: ita et p̄dicatores de q̄bus Dauid in p̄s
ait. Annunciauerūt opera dei. Angeli autē
nō ex ſe veniunt. ſed vt dicit apl's ad Hebre=
os. ii. ca. In miniſteriū miſſi ſunt. Sic et p̄di
catores. Quō predicabunt ait apl'us ad Ro
manos. x. Niſi mittant̄. Ex autē Eſaias nō
vocatus ſe obtulit ad predicandū cum dixit.
Ecce ego: mitte me. Eſaie. vi. ca. Et cōtra cū
Jeremias mitteret̄ a deo ſe excuſauit dicens:
A a a dn̄e deus. ecce neſcio loqui. Jere. i. ca.
Et ſi diuerſa vox extra p̄diit: nō tn̄ a diuerſo
fonte dilectōis emanauit. Duo quippe ſunt
p̄cepta charitatis vt ait Grego. Amor ſcꝫ dei
et p̄ximi. Per actiuā vitam p̄deſſe p̄ximis
cupiens Eſaiā officiū predicatōnis appetiit.
Per cōtemplationem vero Jeremias ſedule
amori cōditoris inherere deſiderās ne mitti
ad predicandū debeat cōtradicit. Qd̄ lauda=
biliter vnus appetiit: hoc laudabiliter alter ex
pauit. Iſte ne tacite cōtemplationis lucrū lo
quendo p̄deret. Ille ne damna ſtudioſi ope=

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-521/0384
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG